

www.e-rara.ch

Friderici Esaiae a Pufendorf religio gentium arcana

**Pufendorf, Friedrich Esaias von
Hannoverae et Lipsiae, 1773**

Stiftung der Werke von C.G.Jung, Zürich

Shelf Mark: Online

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-8075>

Sectio I. generalia ad mythologiam gentium pertinentia.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



SECTIO I.

GENERALIA AD MYTHOLOGIAM GENTIVM PERTINENTIA.

§. I.

Abyssus et Chaos.



Rerum in mundo creatarum formam ex Mosaica narratione aquae praecefferunt et abyssus, quibus spiritus Dei incubauit. Quod alias Chaos dicitur.

§. II. *Mundi creatio in aequinoctium autumnale collocatur.*

Ipsa quidem mundi creatio ab aliis in aequinoctium autumnale, in verum ab aliis, denique portis coeli receptis in solstitium vel brumale, vel aestiuum, sed et in primum ver reicitur. Nos in ea lite illorum inprimis sententiae accedimus, qui mundum in autumnali aequinoctio productum esse putant. Certe secundum Mosē mensis Tisri Iudaeis primus quondam fuit, idemque in anno eorum ciuili ad hanc usque aetatem primus remansit. Plane Aegyptios quoque praescos ita seruasse, ex eo patet, quod ex Aegyptiorum Ho

ro *Macrobius* L. I. *Saturn.* refert; *Explicitis duodecim, id est CCCLX diebus, reliquos quinque diebus inter Augustum et Septembrem anno suo reddunt.* Add. *Hospinianus* de dieb. fest. p. 39. Quanquam non negauerim, Aegyptios *Mosis*, sed et *Iosephi* iam aetate anni inprimis magni et instaurationis initium in aequinoctio verno collocasse. Adicio ex *Thoma Hyde* de relig. veter. Pers. Magorum quoque et veterum Persarum die XVI Septembris esse festum VI dierum, quod Deus hoc die terram statuerit. De Syris videatur *Lud. du Tour de Longuerve* diss. de variis epochis C. II. §. 11. Idque deinde ex festis deorum confirmabitur.

§. III. Illustratio.

Meminerimus autem, quod *Iablonskyus* in Pantheo Aegyptiorum mythico luculenter explicauit, solem in hemisphaerio australi, quod in autumnii principio ingreditur, inferum dictum esse et subterraneum. Ex quo venisse videtur, ut materia mundi prima rerumque chaos in regione mundi australi et partibus subterraneis collocaretur. Quod cum abyssu quoque Mosaico conuenit. Inde *Empedocles*, Pythagorae discipulus, duos soles esse, dixit, quorum vnus *primigenius* sit ignis in altero mundi hemisphaerio, hemisphaerium suo splendori semper oppositum implens. Vid. Summe Reuer. *Bruckeri* Historia Critica Philosophiae T. I. P. 2. L. 2. C. 10. p. 1117. Sed inprimis memorabile est, quod in *Edda Snorronis* Mythol. 4. traditur, prius extitisse illum mundum versus meridiem, qui vocetur *Musspell*, lucidum illud et calidum, flagrantem et torridum, ex quo filii Bori proiectas faces et scintillas acceperint coeloque impouerint, superne et inferne ad mundi fabricam illuminandam. Vnde forte, quod *Diodorus* refert, Aethiopes primi mortalium habiti sunt. De subterraneo autem illud accedit, quod *Anaximenes* dixit, siderum ortum ex terra venisse.

§. IV. Plenilunium in creatione hominis.

Atque illud quoque verisimillimum videtur, et ex festis deinde gentium confirmabitur, lunam in mundi creatione, cum homo fingeretur, plenam auream apparuisse, ut totius mundi pulcritudo Adamo statim ob oculos exponeretur. *Moses*

Moses quoque *Gen. I, 17.* Deum scribit in coelo locasse duo magna luminaria, *ut terram illuminarent.* Quae semestris luna *Apuleii* est *Mer. XI.* rerum Natura parens.

§. V. *Anni primitus initium.*

Ex quo illud quoque veritati consentaneum videtur, anni primitus initium in plenilunio circa aequinoctium autumnale proximo positum fuisse. Aegyptios quidem omnino menses suos a plenilunio ad plenilunium numerasse, *Spencerus* de *Leg. Hebr. ritual. L. 2. C. 4. S. 1. p. 391.* annotavit. Idemque et forte hos secuti Athenienses anni initium civilis plenilunium proximum post solstitium aestivale constituisse feruntur. Sed et festa ludicra pentaëterica et Olympiaca, *Iosepho Scaligero* teste, plenilunio post solstitium aestivale habebantur. Quanquam *Er. Puteanus* *Olymp. IX.* contra *Scaligerum* ostendit, celebrata Olympia fuisse plenilunio Boëdromionis, mensis aestatis ultimi, seu Septembris, Parthenii, quando sol virginem occupavit. Germani, *Beda* teste, mensem, quo hiemalia tempora incipiebant, *Winter fyllet* appellabant, composito nouo nomine ab hyeme et plenilunio, videlicet, ut a plenilunio eiusdem mensis hyems initium fortiretur. Sed Iudaeorum quoque festum tabernaculorum sub initium anni die XV mensis Tisri, adeoque prima post plenilunium aequinoctii autumnalis die celebrandum erat. *Exod. XXIII, 16.* Add. *Spencer.* de *leg. Hebr. rit. L. 3. C. 3. Obs. 6.* Festo autem Paschae, anni ecclesiastici initio, Moses ex diuina institutione item plenilunium, quod proxime aequinoctium vernale subsequitur, assignauit, diem XIV mensis Abib seu Nisan. Sed ita gentes quoque sensisse, ut plenilunio exordium mundi contineretur, ex *Apuleio* *Mer. XI.* haud obscure apparet, ubi rerum Naturae parentis palla ita describitur; *Per intextam extremitatem et in ipsa orae planitie stellae dispersae coruscabant: earumque media semestris Luna, flammeos spirabat ignes.* Quae quidem ibidem seculorum quoque progenies initialis dicitur.

§. VI. *Quod Adamus iam obseruauit.*

Vix dubitandum est, quin iam Adamus plenilunium illud, quod aequinoctium autumnale vel subsequeretur, vel

proxime antecederet, in creationis memoriam sancte et religiose custodierit. Certe locus *Gen. IV, 3.* ex multorum virorum doctorum sententia significat, Abelis et Caini sacrificia sub finem anni oblata fuisse. Neque vero alium Moses annum intelligere potuit, quam veterem in aequinoctio autumnali, quem Iudaei seruabant, et in causis ciuilibus ipse retinuit. Quanquam id non impedit, quo minus Adamus et Abel futurum quoque Seruatorem nasciturum respicerent, ut deinceps luculentius quoque ostenderetur. Et plane diem XV mensis Tisri natalem quoque Seruatoris fuisse, cum *Wasmutho Samuel Reyherus* in *Mathesi Biblica* p. 104. et 517. defendit.

§. VII. *Item posterius eius.*

Adami quidem posteris plenilunia illa in noui anni initio adeo in festis habita sunt, ut gaudio tum et laetitia omnia perstreperent, conuiuia quoque fierent solennia. Laetitiam in festo tabernaculorum Moses ipse praecepit *Leuit. XXIII, 39.* Conf. §. V. Idem de Aegyptiis earum antiquitatum periti produnt. De Graecorum ludis iam dictum est §. V. eoque amplius pertinet *Simonidis* poetae locus,

Nouum autem annum nullus non hominum sperat
Diuitiis bonisque plenum et carum affore.

Apud Persas *Nauruz*, *nouus dies*, anni principium ineunte vere, maximum totius anni festum est, in quo quidem occupari omnes et impleri summo gaudio et omnigena laetitia solent. Idque senorum dierum fuit. *Tb. Hyde* de relig. vet. Pers. C. 19. Sed apud Mexicanos quoque initio anni festiuitates obtinent.

§. VIII. *Continuatur.*

Plenilunia aliis quoque gentibus sacra fuerunt. Romanorum Idus Iouis feriis et sacris agendis dicatas fuisse, et eodem tempore lunam speciem plenam demonstrasse, testatur *Macrobius Saturn. I, 16.* Aegyptiis autem nulla alia festa quam plenilunia et nouilunia fuisse, *Iablonskyus* obseruauit.

§. IX. *Id festis quoque adscitis nouis seruatum est.*

Et si autem gentes succedente aetate anni principium varie statuerunt, tamen receptis nouis festis vetera quoque non visquequaque ab usu recesserunt, praesertim cum incerti denique redderentur, qua anni tempestate, sed et qua ratione et ex quo principio mundus extitisset, et quis ex Deorum numero eum produxisset. Quo quidem Ouidianum illud pertinet; *quisquis fuit ille Deorum.*

§. X. *Festum noui anni quondam nuptiis quoque solenne fuit.*

Illud hoc loco de festo noui anni non possum non adiiungere, quod *Strabo* L. XV. refert, Persas nuptiarum quoddam tempus seruasse, initium scilicet aequinoctii verni, quod tum quidem principium iis noui anni fuit. Forte igitur praescis temporibus obtinuit, ut in festo noui anni, cum gaudio omnia et laetitia perstreperent, et sacrificia offerrentur, nuptiae principum imprimis virorum et nobilium celebrarentur. Romanis quidem Ianuarius anni initium fuit, eidemque mensi luno nuptiarum custos praefuit. Graecis autem idem mensis γαμηλιων, coniugalis, dictus est. Addo locum *Pindari Isthm. VIII. neque Nerei filia bis tradat nobis folia controuersiarum, sed vespera plenilunii amabile soluat frenum virginittatis sub heroe,*

§. XI. *Dies quinque creationis primi item sacri.*

Anni autem initio in memoriam creationis religiose cultumque conueniens erat, non tantum plenilunii diem, qua Adamus productus fuit, celebrare, sed etiam praecedentium quinque dierum memoriam recolere, quibus praeter terrestria animalia et hominem reliquae res creatae sunt. Ita iam Adamum obseruasse, ex sacrificio Abelis et Caini sub finem anni oblato conficitur.

§. XII. *De sacrificio Abelis. Quando Adamus lapsus sit. Ovis symbolum sacrum. Vestes a Deo Protoplastis institutae.*

Sed de sacrificio Abelis plura obseruanda occurrunt. Principio quidem verisimile videtur, lapsum esse Adamum

et ad mortem condemnatum non eadem die, qua creatus esset (neque enim tam exiguo temporis spatio conuenit, quod in paradiso animalibus omnibus nomina ex eorum natura indidit) sed multo post in quinque dierum illarum spatio, quae primitias creationis referrent, anno certe praeterlapso. Neque a vero abhorret, ex diebus istis primam assumere, propterea quod Deus decimum diem mensis Tisri, qui a festo tabernaculorum quinque diebus distat, magnum diem propitiatorium constituit. *Lev. XXIII.* Et prope in eo sum, ut existimem, pentadis *furtivae* nomine, quod *S. XXIV.* retuli, furtum Euae contineri, fructum arboris veritatis furtipientis. Sed eodem quidem tempore salus ei quoque ex Seruatore mortem subeunte promissa est. Tanto igitur maiori iure ab Adamo et Abele sub finem anni sacrificia exhibita sunt, quae expiatoria essent, et promissum Seruatorem, pacis effectorem, respicerent, qui effuso sanguine suo et morte perpeffa genus humanum redimeret. Eo quidem non Caini primitiae frugum, sed Abelis oves perennuerunt, pacis sanguine restitutae symbolum. Nam plane ouis animal quietum est et pacificum, lana quoque commendabile, quae recte praeparata niuem albedine aequat. *Ies. I, 18. Dan. VII, 9. Apoc. I, 18.* Commodissimum quidem pacis et quietis, simul puritatis et innocentiae symbolum. Pacis quidem signum ouis Romanis quoque fuit in pangendis foederibus pacis. Et iam Abrahamus aduersus Abimelechum sopita lite septem agnos ouinos posuit. Sursum spicamur praeterea, vestes, quas Deus Protoplastis post lapsum eorum instituit (*), ex pelle ouina fuisse, et religionis quidem ad pacem significandam cum Deo restitutam et sublatam criminum spurcitiem. Quo extremo sensu candida vestis in Apocalypsi quoque occurrit. Quo admissio Adamus et Abel tanto facilius induci potuerunt, ut sub finem anni in diebus illis, qui ad exemplum vltimi diei cuiusque hebdomadis quieti dicati et sabbata fuisse videntur, oves

(*) Vulgo vertunt; *praeparauit*. Quod tolerari vix potest; praefertim cum et Onkelos Hebraico vocabulo *ruv* significatum assignet: *instituit, religiose instruxit*, et alia S. Scripturae loca institutionis sensum commode admittant.

Deo obtulerint, signum pacis cum Deo restitutae et abstersionis a criminibus, signum promissi Seruatoris.

§. XIII. *Quid diebus quinque creationis primis religiosus contineatur.*

Ex quo quidem summo iure conficitur, Adamum eiusque posteros quinque dies illas, creationis primitias, ideo quoque religiose deinceps coluisse, quod et mortis iis recordatio et restitutionis atque felicitis instaurationis inesset.

§. XIV. *Ovis sacrificium in istis diebus seruatum.*

Procul autem dubio prisci hoc diutius retinuerunt, ut iisdem diebus ouem sacrificarent. Ex quo effectum puto, ut ovis deinde Diis imprimis sacra esset, qui diebus illis praesiderent, veluti Mineruae et Mercurio. Et Minerva et Mercurio, quanquam deprauata quadam ratione, Seruatoris expectationem contineri et Ecclesiae in consortium eius receptae, S. III. C. I. et IV. ostendi. Neque verò existimandum est, pacem et felicem rerum instaurationem huic symbolo penitus deinde apud gentes detractam esse. Praeque certe annum quendam magnum reuolutionis seu instaurationis rerum expectarunt, ad promissum autem Seruatorem respexerunt.

§. XV. *Diēs quinque epagomenae explicantur.*

Atque his quinque diebus, quae creationem hominis, festum noui anni, praecederent, quinque *dies epagomenae* veterum consistunt, mediae inter veterem annum et nouum collocatae, neutro autem comprehensae et ab intercalaribus probe secernendae. Neque enim eas intercalare fas putabatur, ut deinde ex Persarum placitis intelligitur. Eryc. Putermanus de bissexto C. 5. has quinque epagonas temporis quasi extorres vocat, tanquam non essent, dies non dies, institutas, ut procul laboribus, negotiis, curis, laetae, festae fierent, et sic usurpatae deinceps, ut in voluptates, sordes, faeces deficerent. Quemadmodum apud Mexicanos adhuc obtinet.

§. XVI. *Anni ratio apud veteres et epagomenarum, inprimis de pentaëteride.*

Ad plenius autem intelligendas dies epagomenas pertinet nosse anni variam apud gentes rationem, et quem locum epagomenae occuparent. Atque in hypothefi a nobis assumpta plenilunii primus annus, nisi distinctio ciuilis et ecclesiastici adhiberetur, mere lunaris et respectu solis vagus fuit. Ad quem cum sole in concordiam redigendum vix quidquam pentaëteride aptius fuit, quae alias tetraëteris quoque vocatur. Eius duplex ratio fuit. Quadriennio enim lunari exacto vel XLV dies adiciebantur, vel alternis annis mensis XXII. et XXIII. dierum. Quamquam Athenienses mensem embolimum semper XXX dierum formarunt. Ita quidem plenilunium rursus in idem cum sole punctum incidebat, et prima quinti anni die sacra pentaëterica celebrabantur, sed tum quidem cum ducere menses noua luna coepisset, primi mensis die XV. Ita comparata fuisse sacra pentaëterica, *Scaliger* de Emend. Temp. L. 5. p. 382. ostendit. Eaque Pentaëteris Elidensibus in Olympiade, Phocensibus in Pythiade, et Atheniensibus in maiusculis Quinquatribus et mysteriis obseruata est. Adiicio locum *Pindari* Olymp. III. *Iam enim ab ipso aris sacratis patri plena luna, aureo curru vecta vespere totum oculum illustrauerat; et magnorum certaminum sanctum iudicium et quinquennium simul constituerat.*

§. XVII. *De Trieteride.*

Trieteridis et sacrorum trietericorum ratio alia fuit, quae quidem *Scaligero* obseruante ita se habuerunt, vt in trieteride effluxo biennio et mense intercalari noua luna oppositum plenae statum primi anni haberet et contra. Quae trieteris in Panathenaeis minoribus et in Orgiis Bacchi obseruata est. Eoque forte vacca trima Moabitarum pertinet. *Ies.* XV, 5. *Ierem.* XLVIII, 13, 14.

§. XVIII. *Eius ratio.*

Quaeri quidem hoc loco potest, cur noua lunae plenae locum occupauerit, menses quoque in computatione ciuili duxerit, adeoque et nouilunia sacra essent. Forte quidem ratio

ratio in eo locata fuit, quod post diluuium terra exsiccata prima die mensis Tisri apparuit.

§. XIX. *Graecorum Enneaëteris et Romanorum, embolismus item Persarum.*

Sed alius quoque lunaris anni ordinandi modus a *Macrobio* traditur, Graecis et Romanis seruatus, vt post octennium tres menses et singuli quidem XXX dierum intercalarentur. Quae Enneaëteris fuit. Eo quidem Delphorum ludi Pythii spectant. Conf. *Scaliger* de emendat. temp. Aliiter quidem cum *Salmasio Wilb. Langius* *Macrobio* locum explicat, hoc inprimis motus, quod in tanto spatio nimia sacrorum confusio fieret. Sed quem fugit Persarum embolismus, qui exactis demum CXX annis fit.

§. XX. *Dies epagomenae in intercalationibus quoque obseruatae sunt.*

Sed enim in his quoque annorum cyclis cum mensibus intercalaribus dies epagomenae quinque, primitiae creationis, seruatae sunt. Perbelle enim *Dion. Petavius* de anno vetere Romanorum C. 72. obseruauit, mensem intercalarem Merkedonium inter primos dies Februarii et extremos dies quinque positum fuisse post XXIII. Februarii Terminalia, adeoque appendices quinque habuisse, cum primus demum Martii dies anni quondam initium esset. Idque locus *Pindari* confirmat supra §. XVI. relatus. Sed Persae quoque mensi embolimaeo XXX dierum dies illas epagomenas quinque adiecerunt. Eoque pertinet, quod apud *Horapollinem* in *Minerua* scarabaeo triginta pedibus instructo vultur quinque epagomenarum symbolum iungitur, de quo deinceps plura dicentur.

§. XXI. *Mensis embolimaeus vel anni extremus, manibus sacer.*

Sed quemadmodum epagomenis quinque et principium creationis et felix ex morte restitutio et rerum instauratio inerant, ita mensis embolimaeus, vel et anni vltimus XXX dierum, manibus inprimis sacratu fuisse videtur, ex epagomenis tamen multa assumsit, vt quasi praeparatio ad nouam vitam

vitam contineretur. Romani etiam abrogato mense Mercedonio ita seruauerunt, vt in Februario mense vsque ad diem XXIII. Terminalium, quem epagomenae quinque excipiebant, purgationes et lustrationes fierent, et memoria defunctorum maiorum coleretur.

§. XXII. *De anno CCCLX dierum, adiectis diebus V. epagomenis.*

Qui autem populi annum solarem obseruarunt, CCCLX dierum illum numero concluderunt, eodemque modo quinque dies appendices vel epagomenas adiecerunt. Quem annum *Petauius* putat, recepto quoque nostro anno solari in sacris propter solstitii tempora seruatum esse. Aegyptios quidem hanc anni formam seruasse, *Nic. Aueranius* in diss. de mensibus Aegyptiorum conuicit, quanquam alias annus Aegyptius Nabonassareus dicitur. Eundem antiqui Graeci custodierunt. Et *Plutarchus* Romuli quoque annum putat CCCLX diebus constituisse. Persae et Mexicani eum adhuc tenent, et Islandorum quoque menses XXX noctium fuisse, quatuor autem primum, deinde quinque dies adiectos, ex *Arii Schedis de Islandia C. 4.* apparet. Sed Aethiopes quoque menses XXX dierum et V. epagomenas adhuc seruare, *Iobus Ludolphus* testatur. Atque hi CCCLX dies, vel potius daemones iis praepositi, CCCLX statuae vel idola Arabum Muhamedis tempore adhuc fuerunt.

§. XXIII. *Diebus V. epagomenis et primae rerum creationis memoriam et instaurationis inesse, plenius ostenditur ex Aegyptiorum placitis.*

Postquam ostendi, quinque epagomenas et in lunari anno et in solari apud veteres obtinuisse, probatu haud difficile est, memoriam quoque primae rerum creationis et instaurationis iis comprehensam esse. Videamus primum veterum Aegyptiorum de ea re sententias. De Thebaeis Aegyptiis *Diodorus Siculus Hist. L. I.* refert: *Thebaei vetustissimos omnium mortalium se praedicant; apud quos omnium primos philosophia et exactior astrologia sit inuenta. . . modoque peculiari menses et annos apud se ordinatos esse. Nam dies non ad lunae sed solis motum exigentes tricenos mensibus*

dies

dies tribuunt, et post duodecimum quemque mensem quinque dies cum quadrante adiiciunt, (ἐπαγόμεναι, quod male vertitur, intercalant) eoque pacto circulum annum absoluunt. Menses autem embolimos non adiiciunt. Ratio autem cur quinque dies ita adicerentur, a *Plutarcho*, sed et haud obscure ab eodem *Diodoro*, traditur. Commemorat enim *Plutarchus* quinque epagomenas fuisse Aegyptiis τῶν θεῶν γενεθλίους, natalitias Deorum et Rheam quinque Deos peperisse. A quo non multum differt, quod *Diodorus* l. 9. ex Aegyptiorum sententia narrat, ex Osiride et Iside, vel ex Ioue et Iunone quinque Deos natos esse, ita ut in vnamquamque epagomenarum apud eos dierum quinque vnus natalis incideret. Sed merito subiicitur, quod *Plutarchus* de Iside et Osiride ex sacerdotum narrationibus refert, Rheae occulte cum Saturno congressae Solem imprecatum fuisse, ut neque in mense neque in anno pareret, Mercurium cum Rhea coisse, ac deinde in ludo cum Luna victorem septuagesimam, vel, ut alii summo iure emendant, septuagesimam secundam partem cuiusvis diei abstulisse, atque ex his omnibus dies quinque confecisse, ac CCCLX diebus anni adiecisse, quarum prima die Osiris natus feratur. Quae fictio sideo recepta est, quod, quinque his diebus omnia totius anni inesse, crederentur. Narratio autem in Capite de Mercurio amplius explicabitur. Huc pertinet quoque ex *Horapoline* vulturis symbolum hieroglyphicum, quae et morticina est et ex morte restituit, ut S. II. §. CLXVII. amplius exponetur. Scribit I, 11. sic: Matrem (sc. rerum) significantes, aut aspectum, aut limitem, aut futurorum cognitionem, aut annum, aut coelum, aut misericordem, aut Mineruam, aut Iunonem, aut drachmas duas, vulturem pingunt. - - - Gignuntur autem hunc in modum. Cum amore concipiendi vultur exarserit, vuluam illaeram ad Boream aperiens ab eo veluti comprimitur per dies quinque, quibus nec cibum nec potum omnino capit, foetus procreationi intentus. Explicat deinde, cur annus signetur; quoniam animal hoc trecentos illos et sexaginta quinque dies, quibus completur annus, ita distribuit, ut CXX diebus praegnans maneat, totidem pullos enutriet, reliquis vero CXX. sui curam gerat --- quinque autem, qui supersunt anni dies, inuenti, ut iam dictum

dictum est, compressionem et coitum insumit. A quo parura abludit, quod de vulturibus ex *Iob. Tzetze* lo. Corn. de Pauw in notis ad Horapollinem refert:

Πεντε δὲ ἡμέραις πρὸς πύγην πετομενοὶ ἀνεμοῖς.

Quod Interpres vertit: *quinque autem diebus natibus velantes contra ventos*, I. C. de Pauw autem, an recte, alii videant, sic transfert: *quinque autem diebus volantes ventis, qui ad nates flant*. Et ita *Aelianus* quoque tradit L. 2. C. 46. vultures ad gignendos pullos aduersas austro, vel, si is non spiret, Euro volare.

§. XXIV. Item Persarum.

Refert, veterum Persarum quoque sententias de his diebus commemorare. De quibus *Tb. Hyde* de relig. vet. Pers. C. 15. ita tradit: *Persarum menses XXX dierum, dies autem appendices quinque, quae dicebantur intermedia tempora, pentas furtiua* (quemadmodum §. XXIII. Mercurius easdem dies furando abstulit). *Assimilantur quinque sororibus, quae solent nere et alias operas muliebres tractare*. Quod quidem ad prima rerum stamina et compositionem ex materia pertinet, nisi quidem forte ad vestes sacras refertur, de quibus §. XII. exposui. Ideo autem, ut ex *Goblio Hyde* C. 17. tradit, dies hae intercalatae non sunt, quoniam dies essent vel felices vel infelices, adeoque odio haberentur, intercalando dies transferre felices et infelices, et quod cuius diei angelus praecesset, ut mensi, et pro quouis die peculiaris mussitatio nomine angeli istius diei esset, ideoque huiusmodi eorum mussitatio haud recta foret, si diebus mensis vnum diem adderent. Quod etsi cum natalibus Deorum apud Aegyptios conuenit, tamen origo eius rei vix alia potest esse, quam quod §. XIV. XV, annotaui dies istas primitiis creationis sacras fuisse, et quod sua quasi natura anno non continerentur. Ideo peculiare quoque angeli iis praefecti sunt, qui faustarum rerum et infaustarum mussitationes totius anni ederent.

§. XXV. Cur Aegyptii fidere picto et deum in mundo et quinarium numerum intelligerent; Horapollo explicatur.

Ex his quidem amplius intelligitur, cur Aegyptii secundum *Horapollinem* l. 13. fidere, scilicet *Sorthidos*, picto et Deum

Deum ἐγκοσμιον, deum in mundo, et fatum et quinarium numerum intelligerent. Sidere enim Sothidos, vel Canis, ortum mundi apud Aegyptios contineri, *Iablonsky* in Pantheo Mythico Aegyptiorum L. III. C. 2. luculenter explicavit. Horapollo ita explicat: *Deum quidem, quod Dei providentia victoriam decernit atque imperat, qua et siderum orbisque univrsi motus peragitur.* Quod si hoc loco inferius dicta et mythologicae nostrae Deorum explicationes ex Sectione III. assumantur, manifestum putamus, *Deo in mundo, qui victoriam decernat*, Deum Seruatorem in mundum demissum, Cacodaemonis victorem, intellectum esse, qui in diebus V. epagomenis promissus sit. Quinarium vero numerum ideo comprehensum Horapollo putat, quoniam, cum quam plurima et innumera sint in coelo sidera, sola ex his quinque motu suo orbis pulcherrimam efficiant distributionem ac moderamen. Quod quidem an de planetis quinque accipiendum sit dubito. Vix enim est, ut reliquae planetarum excepto sole et luna intelligi possint, ut cum Caussino Io. Corn. a Pauw existimavit, quia Osiris, qui Solem refert, prima die natus fertur, Isis autem, Luna, alia die. Stellae porius quinque caniculae accipiendae videntur, sed eae, quae ab Aegyptiis Sothidis nomine comprehensae sunt. Ceterum, si Io. Corn. a Pauw sequendus est, intelligitur, planetas eas quinque, vel earum daemones his diebus praefectos fuisse, vel certe signa earum observata esse.

§. XXVI. Cur et fatum.

Quod Horapollo relatis verbis §. XXV. explicat de Dei providentia, id quidem *fatum* innuit, quod numero item quinario continetur. Ex Latinorum quidem vocabulo *fati* et *fatorum* facile haec intelliguntur, si meminerimus, ut Persas, ita procul dubio alias quoque gentes musitationes angelorum, qui diebus V. epagomenis praefecti essent, eorumque vaticinia observasse, et inde fatorum, quasi religiose dictorum, appellationem natam esse, quae sint effata angelorum. Nisi quidem potius effata Dei, in diebus istis edita de futuro Seruatore accipienda sunt. Horapollo voce εἰμαρμενης utitur, quae Graecis fatalem necessitatem significat. Lexicographi vocabulum hoc a μεῖρωμαι, *diuido*, derivant.

riuant. Non inepte igitur coniicitur, dies illas V. epagomenas intelligi, quae vtrumque annum, veterem et nouum, diuidebant, et rerum futurarum totius anni vaticinia comprehendebant. Conf. §. XXIV. Quanquam diuisio quoque iudici in iudicando inest. Confer itaque §. XXVIII.

§. XXVII. *Cur Victoria, inuicta.*

Quod amplius in loco Horapollinis §. XXV. relato de Victoria continetur, id nos ad nomen *Inuicti*, ἀννικτος, deducit, quae item numeri quinarum appellatio fuit. Ex Zoroastris quidem doctrina et magorum in creatione mundi pugna inter lucem et tenebras exitit, donec a luce tenebrae superarentur, malum a bono. Sed in tanta consensione cum Proroplastorum institutis vix est, cur non assumatur, talem pugnam lucis et tenebrarum subintellectam primitus et apud sacerdotes seruata esse, qualis sacrae scripturae conuenit, et quae ad Seruatorem refertur, in quo victoria contra tenebras et malum quaerenda est. Omnino quidem ad Adami posteros manasse putamus, quod Deus *Gen. III. 15.* draconi dixit; *Et inimicitias statuam inter te et mulierem, inter tuum semen eiusque semen.* Ludis autem deinde receptis certamina V. dierum fuerunt, ab vndecimo mensis usque ad decimum sextum, quo praemia victoriae sollemniter distribuebantur, vt ex *Pindari Olymp. V.* eiusque Scholiaste intelligitur.

§. XXVIII. *Pentastitia et Nemesis.*

Sed inprimis illud quoque notari meretur, quod Pentastitia praeterea *Iustitia* et *Nemesis* appelletur, litium diremtrix, praemiorum et poenarum distributrix, *Meurs. Denar. Pythagor. C. 7.* Quod si in primitiis creationis subsistas, ad intelligendum id pertinebit, quod *Ouidius Met. I.* ex veterum sententia de principio creationis scribit:

quia corpore in vno,
Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,
Mollia cum duris sine pondere habentia pondus.
Hanc Deus et litem melior Natura diremit.

Sed iam *Warburtonus* de diuina legatione *Mosis* luculenter ostendit, gentes omnes iudicium post mortem expectasse. Idque

Idque ea appellatione inprimis contineri putem. *Virgilius*, Georg. I.

quintam fuge; pallidus Orcus

Eumenidesque satae. tum partu terra nefando

Coeumque Iapetumque creat, saeuumque Typhoea

Et coniuratos coelum rescindere fratres.

Perbelle ita confirmatur, quod supra §. XII. coniectando assumpsi, lapsum esse Adamum et ad mortem condemnatum in diebus anni epagomenis. Vnde iudicium post mortem in nullam anni partem commodius reponi potuit, quae et in fidere coelesti *librae* nomen retinuit, actionum ponderatris. Etsi autem iudicium post mortem pentade accipimus, tamen iudicium quoque de Protoplastis in iisdem diebus habitum comprehendimus.

§. XXIX. *Pentas Salus et sacra.*

Hoc amplius autem cum iis, quae §. XII. exposui, mi-
rifice consentit, quod Pentas, et Mineruae et Pythagoraeo-
rum Druidarumque, *Salutis* quoque nomen tulit et *sacra*
appellata est. Ideo quidem, quod Adamus in diebus istis
spem Seruatoris et salutis accepisset, et sacrificia tum quot-
annis eius rei causa fierent.

§. XXX. *Matrimonium et anima mundi.*

Sed tulit quoque pentas *animae mundi* nomen et *matri-*
monii. Forte quidem anima mundi antiquitus Seruator in-
tellectus est, qui sustentet omnia et spiritu suo regat, vitae
quoque melioris dator sit. Matrimonio autem comprehen-
disse prisci, procul dubio ex reuelatione quadam diuina, quae
Protoplastis eodem tempore obuinit, videntur coniunctio-
nem illam Seruatoris et Ecclesiae, qua inter se vniti sint.
Quamquam ex loco *Gen. III, 20.* illud quoque probabile sit,
matrimonium Protoplastorum eodem tempore perfectum esse.

§. XXXI. *De silentio in V. epagomenis.*

Musitationibus autem angelorum et vaticiniis in his die-
bus receptis (§. XXIV.), silentium quoque obseruari quod-
dam conueniens visum est, vt musitationes perciperentur.
Quam superstitionem *Iohi* iam aetate inualuisse, non impro-
babile

babile est. Verba enim *Iobi XXXI, 27.* quae alii de osculo soli vel lunae porrecto exponunt, eodem iure huc accommodari possunt: *Si cor meum in occulto sollicitatum fuisset et manus mea ori applicaretur. (ut Stephanus vertit.). Nam et hoc foret crimen eorum iudice. Deum enim supremum abnegassem.*

§. XXXII. *De XII. noctibus Septentrionalium.*

Diebus autem V. epagomenis priscis multum conueniunt aliae epagomenae, septentrionalibus inprimis populis per celebres, duodecim scilicet noctes inter d. XXV. Decembris et VI. Ianuarii mediae. Nam etsi Germanis quondam die XXV Decembris anni initium esset, tamen post duodecim illas noctes proprius et solennis annus nouus d. VI. Ianuarii incipiebat, quae adhuc dicitur magna dies noui anni, *das grosse Neue Jahr.* Vid. *Haltausen* Calendarium medii aevi. Et prima quidem nox XXV. Decembris nomen tulit *Iul-Nacht*, nox laetitiae, ut L. B. *de Westfalen* visum est, et *Wachtero*, *Moedranech*, *Modernat*, quae vocabula Christiana religione introducta manserunt. *Moedranech*, quasi nox, rerum omnium mater. Olim *Iulnacht* in noctem accipitrum vel falconum *Hoekanatt*, incidit, quae media hyems dicitur. Sed §. XXXVI. ostendi, media quondam hyemem diem VI. Ianuarii fere acceptum esse. L. B. *de Westfalen* in Praef. T. I. Monum. Cimbr. p. 17. Et apud Suecos quidem nondum ab usu recessit, ut inprimis ruri plebs cameras cruce signet, in ostiis autem aedium crucem suspendat, quae illis *Iulkers* dicitur. *Loccen. Antiquit. Sueo-Goth. C. V. p. 25.* Atque hae duodecim noctes vel dies *Maerkerdage* dictae sunt, dies signorum, prognosticorum, terminorum, item *Lofelmächte*, noctes fortium, quod plebs forte exploraret, an quis forte eo anno decessurus sit, an domo migraturus, quae sibi vxor, quis maritus obuenturus sit. Quod nondum omnino in desuetudinem abiit. Inprimis autem mensium totius anni tempestates his duodecim noctibus superstitiosi inesse apud Germanos quoque credunt.

§. XXXIII. *Earum vestigia apud Aegyptios.*

Sed apud Aegyptios quoque et alias gentes huiusmodi quid intelligitur. Nam etsi *Isiaca*, festum laetum, ut *Eudoxus*

xus et alii Graeci memoriae prodiderunt, in solstitium hy-
 bernum ingruerent, tamen Isis die demum II. Ianuarii ex
 Phoenicia in Aegyptum rediit, nec nisi d. VI. Ianuarii quae-
 situm maritum suum Osirim inuenit, vt *Iablonskyus* conui-
 cit in *Miscellan. Berol. Cont. VI.* Et tum quidem vniuersi
 in Aegypto aquam hauriunt, vitae symbolum. Idem in
Pantheo Mythico L. II. C. 2. §. 4. locum *Eustathii* profert
 huiusmodi: *Alii dicunt, esse Diospoli (vel Thebis) maxi-*
um Iouis templum, ex quo Aethiopes Iouis et aliorum Deo-
rum simulacra accipiunt, atque cum illis certo quodam consti-
tuto tempore Libyam circumeunt, festum continuum per duo-
decim dies splendide ac laute celebrantes. Tot enim Deos ipsi
venerantur. Sed idem quoque *Iablonskyus* obseruat, *Pro-*
lomaeo aliisque *Astronomis* d. VI. Ianuarii mediam hye-
 mem esse, et festa in honorem *Bacchi* peracta apud Graecos
 plerumque in d. VI. Ianuarii incidisse, eademque die in In-
 sulis *Moluccis* festum astrorum celebrari.

§. XXXIV. Earum origo.

De origine autem earum XII noctium in mentem venit,
 quod vt *Persae*, ita alii quoque populi, mensibus angelos vel
 daemones praefecerunt, quorum sub tutela et imperio men-
 sis esset. (§. XXIV.) De *Chaldaeis* *Diodorus* II, 82. refert,
 Deorum principes eos numerare duodecim, singulis autem
 mensem et de XII *Zodiaci* signis vnum tribuisse. *Mercuri-*
us quoque XII. menses inter tot Deos distribuisse fertur, et
Aegyptii octo Diis verustis, forte *enneaëteridi* accommo-
 datis, quatuor recentius adiecerunt, vt numerus duodena-
 rius consisteret. Sed *Romanis* quoque menses sub tutela cu-
 iusdam Dei constituti erant. Atque hi mensium daemones
 videntur *Iouis* XII. consiliarii fuisse, et XII. *Asae* *Septentrio-*
nalium, qui, vt *Edda* habet, cum *Pantopatre* facta homi-
 num iudicarent et iudicia sub *fraxino* exercerent. Quod
 quidem cum iudicio post obitum mirifice conuenit, quale
 diebus V. *epagomenis* inesse ostendi §. XXVIII. Adicio,
 quod *Chaldaei* praeterea, *Diodoro* teste, extra *Zodiacum*
 XXIV. stellas definiuerunt, quarum duodecim borealem re-
 gionem, australem item duodecim sibi vindicent. In his,
 quae apparent, viuentibus deputarunt, quae latent, vita
 functis

functis congregatas existimauerunt, et has omnium rerum iudices appellarunt. Plane vix dubitandum est, ad exemplum epagomenarum dierum quinque XII. noctes natales Daemonum mensium factas esse.

§. XXXV. *De numero ternario.*

Sed quoniam supra §. XVII. de trietericis sacris inieci, operae pretium videtur, de sancto isto numero ternario disquirere, cuius cum pentade sacra, adeoque cum diebus V. epagomenis magna coniunctio fuit, cum sacra pentas Pythagorae tribus triangulis inter se connexis consisteret.

§. XXXVI. *Is gentibus omnibus religiosus ad mortuos quoque euocandos.*

Omnino autem priscis ternarius numerus sacer fuit, eo-
que veteres in mortuis quoque vocandis utebantur. Vid.
Meursii Denar. Pythagor. C. 5. Sed apud Septentrionales
quoque populos triangula sacra fuisse, ex cornu Tunderensi
aureo intelligitur, quod *Olaus Wormius* exhibuit. Prae-
terea *Ossiani* Bardi complura loca, religiosum fuisse numerum
dierum quoque in festis, ostendunt.

§. XXXVII. *Iustitiam refert.*

Pythagoraeis, ut *Plutarchus* in *Iside* et *Osiride* scribit,
ternarius iustitiae numerus fuit. *Iupiter* ipse triocularis di-
ctus est, quia oculus, ut *Pierius Valerianus* in *Hieroglyphi-*
cis animaduertit, iustitiam refert. Sed fulmen quoque Io-
uis, scelerum vindex, trifidum dictum est. Eo quidem
pertinet *Aristophanis* locus in *Vespis*: namque ius *Lacheti*
dicetur illi, quem ferunt pecuniarum habere plenum aluam.
Curator ergo nos *Cleon* ad illum mature adesse iussit atque
iram trium dierum acerbam habere, ut illius delicta punian-
tur, item: tum iudicandi amore flagrat ac gemit, si prima
iudex non premit subsellia - - tantum tenendo calculo assue-
factus est, digitos ut excitatus hos tres contrabat. *Pluroni*
quoque tres Iudices et *Furiae* tribuuntur, et ideo quod ter-
narium numerum dirimendis controuersis veteres maxime
idoneum haberent; *Dionysio Halicarnassense* teste et *Romano-*
rum et *Albanorum* tres ad decertandum delecti fuerunt.
Apud

Apud Germanos ab antiquo trina citatio in iudiciis obtinuit.

§. XXXVIII. *Iustitiam post mortem, iudicium extremum.*

Existimamus autem *iustitiam* inprimis intelligi, quae post mortem sese exferit diuina, *iudicium extremum*. Inde apud *Photium* nomina ternarii numeri referuntur; *Pluto*, *Hecate*, *Maris praeses*, seu, vt in Hieroglyphicis ostenditur, regni mortuorum, *Triton*. Sed *Vrsae* quoque nomen habet, eiusque stellae *triones* dicuntur, quae sedes quaedam defunctorum in Marte inprimis explicanda venit. *Triens* in os mortuorum deponebatur, tanquam nautus apud inferos dandus. *Alex. ab Alexandro* Genial. Dier. L. III. In Plutonis certe regno fere omnia trina apparent.

§. XXXIX. *Vsus antiquissimus.*

Quod si meminerimus ex sacra Scriptura, euocationem mortuorum in vitam iudicium extremum praecedere et cum eo quasi coniungi, omnes ternarii numeri significatus apud veteres inter se consentiunt. Vnde merito suspicamur, a primaeva inde aetate homines ita sensisse.

§. XL. *Vnde assumtus.*

Cur autem in ea re ternarii numeri symbolum placuerit, id quidem nobis explicatu difficile videtur. Neque enim *Warburtono* in eo accedere possumus, vt triplex inferorum regio significetur. Nobis alitis nocturni, galli, cantus in mentem venit, qui et Nocti et Laribus facer fuit, vt *Alexander ab Alexandro* refert; et Apollini et Aesculapio et Mercurio et Mineruae, vt *Pierius Valerianus* et *Stuckius* tradunt. Multi quoque viri docti, in quibus *Wichmanshausen*, idolo *Nergal* Cuthaeorum galli figuram assignant. Is tempora de media nocte vsque ad solis ortum et lucem quasi euocat. Et si autem multi veterum gallicinium tantum duplex statuerunt, ramen rectius *Ausonius*:

*Ter clara instantis Eoi
Signa canit serus deprenso Marte satelles.*

Vbi quidem alii corum magis intelligunt, quod ter matutino cantu Deum aduentantem saluet. Sed notat *Iob. Bapt. Souhay*, non legisse illos *Theocriti Idyll. 24.*

Galli tertium iam ultimum diluculum caneant.

Plane *Athenaeo* teste tibia quoque gallus et fistula *Idaeus* gallus dictus est. Tibia autem *Phrygia* a dextra vnum foramen, duo autem a sinistra habuit. *Alex. ab Alexandro Gen. Dier. L. IV.* Gallus igitur terno cantu in tenebris propinquam diem significat et lucem quasi euocat. Vnde aptissimum symbolum priscis visum est excitationis ex tenebris et nocte in lucem et vitam sperandae, iudiciiue tum habendi extremi. Et ideo puto, *Pythagoram* praecepisse, ut gallus enutritur, non sacrificaretur. Ideo quoque *Socrates* moriens gallum *Aesculapio* offerri iussit, ut ostenderet, reuocationem se in lucem et iudicium extremum expectare, quo innocens declaretur. Et apud *Germanos* quoque *Ridegasti* capiti gallus infidet, sed et *Irmensulae*. Sed tamen perspectis ex *Mythologia* tot reuelationis diuinae de *Seruatore* mortem perpeffo priscis factae vestigiis, non possumus non, etsi alias idoneo argumento careamus, concludere, tres illos dies ternario numero sacro ex priscorum institutis intellectos esse, quos *Seruator* in sepulcro exigeret, quibus et iustitia plenissima continetur et confectaria iudicis mortuorum et domini potestas fuit, qui mortuos euocaret et sub dominio suo haberet. Et is quidem merito numerus ternarius sanctus dictus est, et regno inprimis mortuorum formam triformem dedit.

§. XLI. De anno magno instaurationis in ver collocato.

Pertinet autem ad gentium de instauratione rerum doctrinam, ut obseruemus, annum ab iis magnum quendam reuolutionis seu felicitis instaurationis, sed varie, statutum esse. Quem quidem quodammodo optime explicauit *Virgilius Eclog. IV.* si quidem a nonnullis, ut videtur, perperam prolatis, discesseris. Eius anni initium veteres fere omnes in veris principium, solis quidem in arietem ingressum, collocarunt, inprimis quoque *Aegyptii*. *Plin. hist. nat. L. X. C. 2.* Add. *Iablonsky* Pantheon Mythicum P. I. L. 2. C. 3. §. 9. Qui quidem annus de alio anno magno

XIX. annorum, vel Aegyptiorum XXV. distinguendus est, cum Sol et Luna congregi dicerentur et connubium Osiridis cum Iside intercederet. De quo hoc loco illud tantum adiicio, et Iudaeos annum cum XIX. annorum obseruasse *Computi* nomine, quo septem anni embolimaei comprehendantur, vt Scaliger ostendit, et Graecos, sed et populos septentrionales. Quo nos quidem quasi typum anni magni instaurationis intelligimus, vt deinde in Capite de Iside amplius explicabitur.

§. XLII. *De conflagratione mundi.*

E re autem videtur, veterum de ea instauratione sententias, praesertim de *conflagratione mundi*, plenius explicare. Plane sacrae literae quoque conflagrationem mundi tradunt, nouamque et coeli et terrae restitutionem. Ea quidem sententia procul dubio ex Protoplastorum et priscorum traditione custodita remansit. Inde *Ouidius* Met. I. 255. de Ioue:

Esse quoque in fatis reminiscitur, affore tempus,

Quo mare, quo tellus correptaque regio coeli

Ardeat et mundi moles operosa labore.

Quam sententiam Stoici in anno magno seruarunt, in eum quidem modum, vt non interitus, sed mutatio renouatione et in meliorem formam restitutio accipienda sit. Vid. *Lipsius* Physiol. Stoic. L. 2. Diff. 22. Reu. *Brucker* Hist. Philos. Crit. T. I. P. 2. L. 2. C. 9. §. 60. Eo autem *Apulei* quoque locus Met. XI. pertinere videtur de semestri luna *flammeos ignes spirante*, quae in habitu dearum, reginarum manium, occurrit, propterea quod per ignem instauratione in plenilunio contingeret. Et inde quidem Pythagorae quoque secundum Plutarchum medium mundi ignem, qui natura antiquior sit, et centri locum teneat, larem et focum vniuersi appellarunt, itemque Iouis domum, Deorum matrem et basin ac sustentaculum naturae. Quae quidem sententia, vt in Mythologicis ostendetur, Septentrionalibus quoque populis apprime placuit. Conf. Reu. *Bruckeri* Historia Critica Philosophiae T. I. C. 9. §. 16.

§. XLIII. *Cur principium anni instaurationis in ver reiciatur.*

Atque illud quidem, quod tempus quoddam instaurationis et annum istum magnum expectarent, iis conueniens est,

est, quae hucusque explicaui. Ex eo, quod anni istius initium in principium veris reiecerunt, dici possit, ver quasi temporis renouationem et rerum assumtum esse. Sed tamen, quia eodem temporis momento Christus mortem perpeßus est, et felicem illam instaurationem effecit, Moses quoque ob eam causam anni id principium ecclesiastici constituit, veri perquam simile videtur, istam anni partem salutiferam priscis iam diuinitus annuntiatam fuisse, ad posteros autem traditione propagatam.

§. XLIV. *De sidere Pleiadum. Septem vocales.*

Vere autem assumpto, magni anni istius initio commodum eius symbolum *Vergiliae* seu *Pleiades* fuerunt, vtpote quae ver ferre dicuntur. Istud certe nobilissimum sidus fuit Mercurio gratum, quem inprimis diebus V. epagomenis praefedis, ostendetur. Eoque forte pertinet, quod in *hymno Homérico* Mercurius dicitur super testudinem septem consonas ouium chordas extendisse. Vbi quidem forte ob Tauri signum coeleste bouina quoque pellis occurrit. Quanquam hoc demum in Capite de Mercurio explicandum est. Et Mercurium *Hyginus* quoque scribit septem chordas instituisse ex Atlantidum numero. Vnde plane nescio, num *septem* illae *vocales*, de quibus luculentae doctissimorum virorum commentationes extant, praesertim *Gesneri* in *Comment. Soc. Reg. Goettingensis* A. MDCCCL. p. 245. sq. siquidem stellae intelligendae sunt, planetis potius, an Pleiadibus assignandae sint. Haud inepte certe vocales Pleiades dicuntur, sub quarum ortu in vitam reuocatio fit. Et ita multo quoque commodius, quam in Planetis, sacrosanctum illud retrogramma 𐤀𐤌𐤁𐤁 subintelligetur, fons et praesentis et futuri. Assumpto enim Pleiadum signo instaurationis quoque fons eius sistitur. Sed tamen in explicatione septenarii numeri S. II. §. LXVI. septem vocalium paulo aliam rationem assumimus.

§. XLV. *De septem planetis, Theraphim.*

Illud quidem non negauero, *septem planetarum* quoque cultum Iacobi iam aetate obtinuisse. Vox enim *Theraphim*, si cum *Eduardo Pocock* ab Arabico *Tarepha*, errare, deducatur,

catur, *stellas errantes* significabit. Et cultum antiquissimum apud Aegyptios *Iablonskyus*, quanquam, ut nobis videtur, parum validis argumentis defendit. Plane sequiori aetate septem planetarum sphaerae concentum quoque efficere mirabilem septem sonorum credebantur. Vid. *Macrobius in Somn. Scip. L. 2. C. 4.* Sed magis ad ascensiones et in corpora descensiones animarum videntur pertinuisse. Ceterum cum planeris, terra quidem et sphaera stellifera adiecta, novem quoque sphaerae, vniuersi corporis mundani partes, receptae sunt, quae septem sonos ederent.

§. XLVI. De sideribus aliis.

Sed sedibus quidem animarum, unde et in vitam vel redirent, vel descenderent, alia quoque sidera sensim assignata sunt. Quam in rem in animabus praesertim bellatorum et praestantium virorum *arctoa* inprimis sidera placuerunt, veluti *utraque Vrsa septem trionum* et vicina alia. Ex quibus et in solem translatio quaedam assumpta est. Aliis *circulus lacteus* placuit, Capricorni signum et Cancri interfecans, quas *Solis portas* vocauerunt, per quas animae de coelo in terras meare et de terris in coelum remeare crederentur. Vid. *Macrob. in Somn. Scip. L. I. C. 14.* Ab aliis autem alia sidera assumpta sunt, veluti ab Aegyptiis *Sothidos*, *Caniculae*, vel potius *Procyonis*.

§. XLVII. Explicanda plura.

Restabant ad Mythologiam hoc loco plura explicandam persecutione digna, veluti de migrationibus in alia vel hominum vel animalium corpora, de purgationibus et de varia post mortem conditione. Quae quidem ante hieroglyphicorum quandam explicationem hoc loco commode exponi non possunt, sed Mythologiae reseruanda sunt. Vestigia tamen reuelationis diuinae satis perspicua plerumque occurrent. Et certe mirifica saepius consensus cum ipsis verbis a Mose expressis in creatione et Sotere promissoprehenditur.